



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 1. Utrùm in justificatione impii fiat vera peccatorum remissio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

R. dist. conf. Ergo ex S. Augustino, sine charitate nullum opus bonum fieri potest, hoc est, nullum opus fieri potest, quod sit meritum vite æternæ, C. conf. Hoc est, nullum opus fieri potest, quod morale habeat bonitatem, seu nullum opus fieri potest, quod non sit moraliter turpe & inhonestum, N. conf. Item omne quod non sit ex charitate, peccatum est, id est, culpabilis transgressio legis divinæ, N. conf. Id est, vel culpabilis transgressio legis divinæ, vel saltem opus carens aliqua perfectione & sufficienti proportionem cum vita æterna ut mercede, C. conf.

Itaque S. Doctor hic loquitur de operibus vite æternæ meritoris, ad quæ liberum arbitrium cum lege & doctrina sufficere afferebat Pelagius, contra quem dicit S. Doctor, nulla ejusmodi opera esse posse, nisi imperentur à charitate, adeoque sine gratia, quæ charitas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui gratis datur nobis. Igitur S. Doctor non aliquid hic intendit, quam ex necessitate charitatis ad opera vite æternæ meritoria faciendâ, probare necessitatem interioris gratiæ ad eadem illa opera. Unde post verba citata sic statim prosequitur: *Ac per hoc gratiam Dei, quæ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet.* Quod nullatenus doctrinæ nostræ officit, nec probat infideles solis naturæ viribus aliqua opera moraliter bona, quæ facilia sunt, exercere non posse, cum nec dæmon tentat, nec caro rebellat, Imò verò cum S. Doctor ait, ubi non est charitas, ibi nullum bonum opus imputari, manifestè supponit, præter bona opera, quæ imputantur, quia fiunt ex charitatis motione, alia etiam esse opera, quæ non imputantur, non quia non sunt bona, sed quia à charitate non imperantur, & quæ idcirco non vult dici simpliciter bona.

Dices. S. Augustinus sic lib. de vera religione, c. 38, loquitur de infidelibus: *Servium cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi ... Ita vescentes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem expectent. His autem rebus quibus quisque beatus vult effici, servire necesse est, velit, nolit.* R. ex eo quod infideles serviant cupiditati illi triplici, sequi tantum quod ordinariè & ut plurimum agant vel propter voluptatem, vel propter excellentiam, vel propter spectaculum; adeoque quod ordinariè & ut plurimum peccent; quod facile concedimus. Item ex necessitate serviendi rebus, quibus beati esse volumus, & ita ex necessitate serviendi bonis temporalibus, à quibus nostram expectamus beatitudinem, sequitur tantum necessitas ordinariè & ut plurimum agendi ex inordinato bonorum temporalium affectu; quod non impedit infideles, ne interdum ex affectu honestatis naturalis operentur.

Dices denique. S. Augustinus, lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 18. hæc habet: *Si voluntas aut bona est, aut mala; & utique malam non habemus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.* R. S. Doctorem, ut pater ex contextu, per voluntatem intelligere, non actionem, sed potentiam volendi, quæ, ut rectè dicit S. Doctor, aut bona est, aut mala: nam vel diligimus justitiam, vel justitiam omnino non diligimus. Si primum, voluntas bona est: si secundum, voluntas mala est. Sed sicut voluntas, quæ justitiam diligit, aliquando facit aliquid venialiter malum, quia non semper agit ex affectu justitiæ, sed agit aliquando ex affectu aliquo leviter malo: ita voluntas quæ omnino non diligit justitiam (diligere autem justitiam, juxta S. Doctorem, est diligere Deum, vel ea quæ placeant Deo, quia placent Deo) facit aliquando aliquid moraliter bonum, quia non semper agit ex pravo affectu, sed agit aliquando ex affectu honestatis naturalis; licet ad hanc honestatem non afficiatur, quia placeat Deo, & ut placeat Deo.

Obijciat 3. Dæmones non magis læsi sunt in naturalibus, quam homines, & tamen facere non possunt ullum opus bonum moraliter. Ergo nec homines, nisi

liberentur adjuventurque per gratiam Dei. R. neg. conf. Magnum enim discrimen est dæmones inter & homines etiam corruptissimos. Nam dæmones sine ulla intermissione Deum actu oderunt, omniaque quæ Dei sunt, adeoque & genus humanum, Unde quidquid agunt, illud necessitate consequenti agunt ex affectu displicendi Deo, & nocendi hominibus; & ita necessariò necessitate consequenti in actibus suis omnibus peccant. Tale autem semper peccandi necessitatem non habent homines, etiam infideles & scelestissimi, quia neque Deum, neque proximum semper oderunt actu.

Obj. 4. Si homo potest solis naturæ viribus aliquod opus moraliter bonum facere, remanserunt in natura humana post Adæ peccatum aliqua virtutum semina. Consequens Semipelagianum est. Ergo, &c. R. in natura humana post Adæ peccatum, aliqua virtutum semina remansisse, intelligendo per semina virtutum, rectæ rationis lumen, licet extenuatum; & naturalem ad prosequendum honestum, & inhonestum adversandum, voluntatis propensionem, licet infirmatam. Qui sensus minimè Semipelagianus est. Nam Semipelagiani per semina illa virtutum, quæ contendebant in homine remansisse post peccatum Adæ, intelligebant salutares cogitationes, & salutaria desideria, ex solo vigore naturæ orta, quibus, secundum illos, homo ad recipiendam Dei gratiam disponitur.

DISPUTATIO VI.

De Justificatione Impii.

ARTICULUS I.

Utrum in justificatione impii fiat vera peccatorum remissio.

Negant Lutherus & Calvinus, & docent peccata in justificatione solum tegi, & non imputari, propter justitiam Christi fide apprehensam. Triplicem autem distinguunt fidem; fidem scilicet historicam, qua credimus ea, quæ continentur in Scripturis; fidem miraculorum, qua credimus Deum esse omnipotentem; & fidem promissionum, qua credimus veras esse promissiones, à Deo factas de peccatis propter merita Christi remittendis. Hanc fidem subdividunt in generalem & specialem: generalis est, qua generatim credimus credentibus in Christum promissam esse peccatorum remissionem: specialis verò, qua unusquisque promissionem hanc sibi applicat, firmiter credendo sibi peccata propter Christum esse remissa; atque ita quasi manu apprehendendo justitiam Christi, qua omnia ejus peccata reguntur: unde hanc fidem, justificantem nominant. Sed contra illos sit

RESPONSIO.

In justificatione impii vera sit peccatorum remissio. Est de fide, & prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur Rom. c. 8. *Nihil ergo damnationis (hoc est, damnatione dignum) est iis, qui sunt in Christo Jesu (hoc est, qui sunt Christo per justificationis gratiam inserti).* At si in justificatione peccata non abolerentur per veram remissionem, remaneret aliquid in justificatis, quod damnatione dignum est, ut per se manifestum est. Ergo, &c.

Præterea dicitur Hebr. c. 9. *Christus semel oblatum est ad multorum exhaurienda peccata (per justificationis beneficium).* At quomodo exhauriuntur peccata, si reguntur tantum, & non verè remittuntur? Et Ephel. c. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* Et 1. Joan. c. 1. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Ex quibus locis sic argumentor breviter. Ille veram peccatorum remissionem obtinet qui in justificatione ex maculato fit immaculatus, & ex immundo mundus. Atqui peccator in justificatione fit ex maculato immaculatus, & ex immundo mundus. Ergo, &c.

Prob. 2.

Prob. 2. ex unanimitate Patrum consensu, Pro omnibus hic unus sit Gregorius Magnus Epistolatum, lib. 9. epist. 39. ubi sic loquitur: *Si qui sunt, qui dicunt peccata in baptismo superficie tenus dimitti: quid est hac predicatione infidelium, in qua ipsum fidei sacramentum festinant solvere? in quo principaliter ad celestis mundicie mysterium anima ligatur, ut absoluta radicibus à peccatis omnibus, soli illi inhereat, de quo Psalmista ait: Mihi autem adhaerere Deo bonum est.*

Et paulò inferius: *Qui ergo dicit peccata in baptismo funditus non dimitti, dicat in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismo funditus mori: quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quam umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Si igitur peccata in baptismo funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit.*

Accedit autoritas Tridentinae Synodi, sess. 5. can. 5. Si quis, inquit, per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propria peccati rationem habet, sed illud dicere tantum radi, aut non imputari, anathema sit.

Obj. verba Psalmi 31. ubi dicitur v. 1. *Beati quorum testis sunt peccata.* Et v. 2. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* R. ad 1. Peccata dici possunt regi dupliciter. 1. Ita ut occultentur tantum, adeoque verè maneant, & hic sensus haereticorum est. 2. Ita ut aboleantur omnino & hic sensus est Catholicorum, quem exprimit S. Augustinus enarr. in Psal. 31. ubi sic ait: *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum testis sunt peccata; non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum testis sunt peccata. Cooperata sunt peccata, testis sunt, abolita sunt. . . . Nec sic intelligas quod dixit: Peccata cooperata sunt; quasi ibi sint, & vivant.*

R. ad 2. Duplex est non imputatio; una, qua non imputatur id quod est, & haec est non imputatio, quam docent haeretici; altera, qua non imputatur id quod non est, sive qua aliquid non imputatur, quia non est, & haec est non imputatio, quam tenent Catholici, & quam hoc loco exprimit Scriptura.

ARTICULUS II.

Utrum in justificatione, praeter veram peccatorum remissionem, accipiat homo inherenter justitiam, qua interius renovatur, & iustus fiat.

RESPONSIO.

Homo in justificatione accipit inherenter justitiam, qua renovatur interius, & fit intrinsecè iustus. Est de fide, contra Lutherum & Calvinum, asserentes hominem in justificatione non fieri iustum, nisi extrinsecè, & propter justitiam Christi, ipsi extrinsecè imputatam.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur 2. Petri, cap. 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Maxima autem illa & pretiosa dona, quibus ii, qui iustificuntur, efficiuntur divinae naturae consortes, quid aliud sunt, quam gratiae dona, ex quibus componitur justitia inherens, qua ii, qui iustificuntur, renovantur interius, & iusti fiunt ac sancti.

Prob. 2. ex consensu Patrum. Unus hic sit pro omnibus S. Augustinus enarr. in Psal. 98. ubi haec habet: *Exaltemus illum, qui fecit ipsam justitiam, quam habemus. Ipse in nobis fecit: quis enim in nobis fecit ipsam justitiam, nisi qui nos iustificavit?*

Prob. 3. ex Conc. Trid. sess. 6. c. 7. ubi rem definit his verbis: *Hunc dispositionem, seu preparationem (quam exposuit capite praecedenti) justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae & donorum.*

Post aliqua, docet unicam causam formalem nostrae justificationis esse justitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam.

Denique can. 11. contrarium sentientes anathematizat his verbis: *Si quis dixerit homines iustificari vel sola imputatione justitiae, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quae in cordibus eorum diffundatur, atque illis inhereat; aut etiam gratiam, qua iustificuntur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.*

Obj. Scripturam. Dicitur Psal. 142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et Rom. c. 5. *Per unius obedientiam iusti constituentur multi.* Et ead. Epist. c. 10. *Ignorantes justitiam Dei, & suam quaerentes statuere, justitiae Dei non sunt subiecti.* Et 1. Cor. cap. 1. *Factus est nobis (Christus) sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Et 2. Cor. c. 5. *Pro nobis peccatum fecit (Christum) ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Et Gal. c. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

R. ad 1. Sensus est, neminem, secluso speciali privilegio, quod paucorum est, expertem esse omnis peccati. Ad 2. Hic obedientia Christi asseritur, non pro causa formali, sed pro causa meritoria justificationis nostrae. Ad 3. Hic reprehenduntur Judaei, quod ignorantes culpabiliter veram justitiam, quae à Deo propter merita Christi ritè dispositis & in Christum credentibus confertur, contenti fuerint justitia legali, quae in externa legis Moisaicae observatione consistebat. Ad 4. Hic causa nuncupatur nomine effectus, quod familiare est sacris Scripturis. Sic Psal. 17. dicitur: *Dominus illuminatio mea, & salus mea,* hoc est, Dominus est causa illuminationis & salutis meae. Ad 5. Sensus est, Christum à Deo Patre factum esse pro nobis hostiam, ut nos efficeremur iusti justitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos intrinsecè iustos facit: nam *justitia Dei*, inquit S. Augustinus tract. 26. in Joannem, dicitur, *non qua Deus iustus est, sed quam dat homini Deus, ut iustus sit homo per Deum.* Ad 6. In justificatione Christum induimus, quatenus sumus ei verè similes per veram & realem, nobisque inherenter ipsius justitiae participationem.

Obj. S. Bernardum in epist. 190. ubi sic ait: *Iustum me dixerim, sed illius justitia.* Loquitur autem de justitia Christi, ut patet ex contextu. R. S. Bernardus justitiam, qua in praesenti statu iusti sumus, vocat justitiam Christi, quia in praesenti statu iusti sumus per justitiam, non originalem, seu vi originis nobis debitam, sed gratuitè & misericorditer nobis propter merita Christi donatam.

Patet ex contextu: nam post verba laudata, sic statim prolequitur: *Quanam ipsa? Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Denique qui factus est, inquit Apostolus, nobis justitia à Deo Patre. *Quae ergo mihi justitia facta est, mea non est? Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta justitia? Et sanè mihi tutior donata, quam innata.* Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum: illa autem cum sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi, nisi in Domino. . . . Hec est, justitia hominis in sanguine Redemptoris, quam homo perditionis exsufflans & subsannans, in tantum evacuare conatur, ut totum, &c.

Hic autem homo perditionis, est Petrus Abailardus, qui, ut refert hic S. Doctor, docebat Christum ad hoc tantum venisse, ut traderet hominibus formam vitae vivendo & docendo: patiendū autem & moriendū charitatis meram praefigeret. Ex qua doctrina sic concludebat S. Bernardus: *Ergo docuit justitiam (Christus) & non dedit, ostendit charitatem, sed non infudit.* Ex his omnibus apparet S. Bernardum, cum ait nos iustos esse justitia Christi, non loqui de justitia, qua Christus ipse iustus est, & quae nobis sit extrinsecè imputata, sed de justitia, quam Christus nobis meruit, & quae nobis propter ejus meritum infunditur.